Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ritudo et omnia his cognata. Amplius calor et frigus et albedo et nigredo. Et quoniam hae qualitates sunt manifestum est. Quaecumque enim ista susceperint qualia dicuntur secundum ea, ut mel quoniam dulcedinem suscepit dicitur dulce. Et corpus album eo quod albedinem suscepit. Similiter sese habet et in ceteris.

[T]ertium qualitatis genus proponit quod in partem qualitatis speciebusque nos convertimus passibiles qualitates et passiones. Hae autem a se plurimum distant, tamen utrumque qualitates et passibiles. Hae autem a se plurimum distant tamen utrumque qualitates sint utraque prius docet. Post vero quae eorum distantia esse videatur edisserit. Et prius eorum convenientia proponit exempla. Nam quid sint passibiles qualitates docens ait: ut dulcedo vel amaritudo calor et frigus et nigredo et albedo et alia his cognata. Haec quae superius comprehensa sunt qualitates esse reddiderat. Diffinitionem enim qualitatis esse perduxerat secundum quam quales vocamur. Quod si secundum qualitates quales vocamur, ab amaritudine vero vel dulcedine amarum vel dulce dicitur, a nigredine et albedine nigrum atque album. Quis dubitet has esse qualitates in quibus qualitatis diffinitio convenit? Illa enim semper eiusdem naturae esse creduntur quaecumque eiusdem descriptionis finibus terminantur. Ut si qua res diffinitionem hanc quae est animal rationale mortale suscepit, eam hominem esse manifestum est. Quocirca si has quas passibiles qualitates vel passiones dixerat suscipiunt qualitatis diffinitionem eo quod qualia dicuntur quae illa susceperint, has esse constat esse qualitates.

[P]assibiles vero qualitates dicuntur non quo ea quae illas susceperunt qualitates aliquid patiantur. Neque enim mel quoniam aliquid passum sit idcirco dicitur dulce, nec aliud aliquid huiusmodi. Similiter autem hec calor et frigus passibiles qualitates dicuntur, non quod ea quae illas susceperint qualitates aliquid patiantur, sed quoniam singulum eorum quae dicta sunt secundum qualitatem sensus passionis perfectiva sunt passibiles qualitates dicuntur. Dulce enim passionem quandam secundum gustum efficit et calor secundum tactum.

[P]assibilium vero qualitatum exempla constituerat dulcedinem vel amaritudinem, frigus atque calorem, albedinem atque nigredinem. Quae cum passibiles qualitates sint non tamen uno eodem modo passibiles qualitates dicuntur, sed longe distant rationes quibus haec omnia qualitates passibiles appellantur. Ut prius dulcedo vel amaritudo calor et frigus passibiles